

manos illum locum exponit: „Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei: ita dicens: Duo timores hic insinuantur; unus qui est in perfecta charitate, scilicet timor castus; aliter qui non est in charitate, idest servilis; in quo quamvis credatur Deo, non tamen in Deum; & si bonum fiat, non tamen bene. Nemo enim invitus bene facit.“ (Ex Lib. I. Confess. cap. xii.)

De casto, & servili plenius agit, tangens de initiali.

DE his eisdem timoribus latius disputat Augustinus (a) dicens: „Cœpit aliquis credere diem iudicii. Si cœpit credere, cœpit & timere. Sed qui adhuc timet, nondum habet fiduciam in die iudicii, nondum est in illo perfecta charitas. Si perfecta in illo esset charitas, non timeret: perfecta enim charitas faceret perfectam iustitiam; & non haberet quare timeret; immo haberet quare desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. Ergo timor non est in charitate. Sed in qua charitate? Non inchoata. In qua ergo? In perfecta. Et perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor, quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum: quantum enim illa crescit, ille decrescit; & quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor; minor charitas, major timor. Si autem nullus est timor, non est quo intret charitas; sicut videmus per setam introduci linum quando aliquid suitur: seta prius intrat, & nis exeat, non succedit linum. Si timor primo occupat mentem; non autem ibi remanet timor: quia ideo intravit, ut introduceret charitatem.“

Quid videtur prædictis adversari.

EST autem sententia quæ videtur esse contraria huic, si non habet pium intellectorem. Dicitur enim in Psalm. xvi. 11. Timor Domini (5) castus permanet in sæculum sæculi. Æternum quendam timorem nobis ostendit, sed castum. Quod si ostendit ille nobis æternum timorem; numquid contradicit illi ista Epistola quæ dicit: Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem? Hoc enim dictum est per Joannem I. Joan. xv. 18. illud dictum est per David. Sed nolite putare alium esse spiritum. Si enim unus flatus inflat duas tibias; non poterit unus spiritus implere duo corda, & agitare duas linguas? Si spiritu uno, idest uno flatu implente, duæ tibie consonant, impletæ duæ linguæ spiritu Dei dissonare possunt? Immo est ibi quædam consonantia, est quædam concordia; sed auditorem desiderat (6) studiosum, non otiosum. Ecce movit duas linguas spiritus Dei, & audivimus ex una: Timor non est in charitate: audivimus ex alia: Timor Domini castus permanet in sæculum sæculi. Quid est hoc? Dissonant? Non. Excute aures, intende melodiam. Non sine causa hic addidit Castus, illic non addidit: quia est timor aliquis qui dicitur castus; est autem alius timor qui non dicitur castus. Discernamus istos duos timores, & intelligemus consonantiam tibiaram. Quomodo discernimus? Attendat charitas vestra. Sunt homines qui propterea timent Deum ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno: ipse est timor qui introducit charitatem; sed sic venit ut exeat. Si enim propter pœnas timeas Deum, nondum amas quem sic times; non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo quia mala caves, corrigis te, & incipis bona desiderare: quæ cum desiderare cœperis, erit in te timor castus. Quid est timor castus? Timere ne amittas illa bona, timere Deum ne recedat à te. Cum autem times Deum, ne te deserat præsentia ejus, amplecteris eum, ipso frui desideras.“

Quomodo distent duo timores, per similitudinem duarum mulierum ostendit.

NON potest melius explanare quid intersit inter hos duos timores, quam si ponas duas mulieres maritatas: quarum unam constituas volentem facere adulterium, sed timet ne damnetur à marito. Timet maritum, quia adhuc amat nequitiam. Huic non est grata, sed onerosa mariti præsentia. Sed si forte vivit nequiter, timet maritum, ne veniat. Tales sunt qui timent diem iudicii. Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, nulla se adulterina immunditia maculare velle: ista optat præsentiam viri. Ista timet, & illa timet. Jam ergo interrogentur quare timeant. Illa dicit: Timeo virum ne veniat; ista dicit: Timeo virum ne discedat. Illa dicit: Timeo virum, ne damnet; ista dicit: Timeo virum, ne deserat. Pone hoc in animo, (7) & invenies timorem quem foras mittit charitas, & alium timorem castum permanentem in sæculum sæculi. Illum timorem perfecta charitas foras mittit: quia ille timor tormentum habet, torquetur conscientia peccatorum, nondum facta est justificatio. Est ibi quod (8) titillet mentem, quod pungat, quod stimulet. Stimulat ille timor; sed intrat charitas, quæ sanat quod vulnerat timor. Timor castus facit securitatem in animo. Audivimus duas tibias consonantes, scilicet David, & Joannem. Illa de timore Dei dicit quo timet anima ne damnetur; illa de timore quo timet anima ne deseratur. Ille est timor quem charitas excludit; ille est timor qui permanet in sæculum sæculi. Ecce his verbis prædictis aperte ostendit Augustinus quis sit timor castus, & quis servilis, & qualiter differant. In quibus etiam initialem timorem significavit, qui nec ex toto est servilis, nec ex toto castus, sed tamquam medius aliquid de servili, & aliquid de casto timore habet. Facit enim servire partim timore pœnæ, partim amore iustitiæ; per quem timeamus puniri, & timeamus offendere. Iste timor est in inchoata charitate, non in perfecta: & quantum crescit charitas, tantum decrescit iste timor quantum ad meritum pœnæ, idest

(5) Vulgata Sanctus permanens. (6) In Augustini textu deest studiosum, non otiosum. (7) Augustini textus addit Christianorum. (8) Al. titillat mentem, quod pugnat, quod stimulat.

Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Tract. ix. in Epis. I. Joan. non eadem serie quam hic, sed partim ad hæc verba: In hoc est perfecta dilectio, sive charitas, ut fiduciam habeamus in die iudicii: partim, aliis interjectis, ad illa verba. Timor non est in charitate &c.

idest quantum ad id quod facit timere pœnam, & quantum ad tormentum conscientie: nam quanto magis diligimus, tanto minus timeamus. Iste timor notatur in illis verbis Augustini, ubi non negat timorem esse in charitate inchoata, sed perfecta. Quod non posset dici de servili: quia ut ipse supra dixit, servilis timor non remanet veniente charitate; nec intrat charitas, nisi prius ille timor exeat; nec in illo timore aliquid credit in Deum, etsi credat Deo; nec bene facit, etiam si bonum est quod facit. Non est ergo ille timor in charitate etiam inchoata: quia omnis qui charitatem habet, licet non perfectam, & in Deum credit, & bona opera facit. Quare servilis non est timor ille quem in charitate inchoata fore concessit, & quem crescente charitate decrescere dixit; sed ille est timor initialis, quem non negat esse in charitate, nisi perfecta sit.

Quod timor servilis, & initialis dicitur initium sapientiæ, sed differenter.

Sciendum est tamen, quod uterque timor, scilicet servilis, & initialis, in Scripturæ diversis locis dicitur initium sapientiæ: & ita comperies, si diligenter annotaveris loca Scripturæ in quibus de timore Domini fit mentio. Ex alia tamen ratione, & causa diversa dicitur servilis initium sapientiæ, & ex alia initialis. Servilis enim ideo dicitur initium sapientiæ, quia præparat locum sapientiæ, & ex alia initialis tamen non remanet cum ea, immo foras exit. Initialis vero dicitur initium sapientiæ, quia est cum inchoata sapientiâ; quem cum quis habere incipit, sapientiam, & charitatem habere incipit. Inde est quod uterque timor dicitur initialis; quod invenire poteris per diversa Scripturæ loca. Uterque etiam timor interdum dicitur servilis, quia ipse initialis qui est in charitate inchoata, aliquid habet de servili, scilicet angorem pœnæ, sicut & aliquid habet de casto, scilicet quod timet offendere, ac separari.

De hoc quod Augustinus dicit, castum timorem esse æternum.

Illud quoque diligenter est notandum quod in superioribus Augustinus dicit, castum timorem esse æternum: per quod confirmatur præmissa sententia, scilicet quod spiritus timoris erit in futuro; sicut & alia dona Spiritus Sancti; sed non habebit omnem illum usum quem modo habet. Faciet enim nos tunc revereri Deum, non timere separari, vel carere. Fuit ergo in Christo timor ille, sed juxta illum usum quem habebit in futuro in Sanctis: non enim timuit Christus separari, vel offendere Deum; sed eum præ omnibus reveritus est.

An timor pœnæ in Christo fuerit servilis, initialis, vel aliq.

CUM autem fuerit in Christo timor pœnæ, quæritur, an iste timor fuerit mundanus, vel servilis, vel initialis. Ad quod dicimus, nullum eorum fuisse in Christo: quia timor mundanus malus est, ut supra dictum est, & in primo gradu cum mundo deseritur; servilis vero, vel initialis in perfecta charitate timor ille dicit naturalis, sive humanus, qui omnibus hominibus inest, quo hortetur mors, & formidantur pœna; & dicitur timor iste naturalis, non quod accesserit homini ex natura, secundum quod prius fuit instituta, quia non fuit iste timor concreatus homini, nec de bonis naturalibus; sed quia ex corrupta natura per peccatum omnibus advenit, quia corruptio inolevit, tamquam esset naturalis: & est timor iste effectus peccati, ut dictum est.

DIVISIO PRIMÆ PARTIS TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de virtutibus, hic incipit determinare de donis. Dividitur autem hæc pars in partes tres. In prima determinat de donis in communi. In secunda de quodam donorum, scilicet de timore, quod specialem difficultatem habet propter sui multipliciter, ibi: *Et quia de timore tractandi nobis occurrit locus, sciendum est, quatuor esse timores.* In tertia ostendit differentiam aliquorum donorum ad invicem propter maximam eorum convenientiam, xxxv. distinct. ibi: *Post præmissa diligenter considerandum est in quo differat sapientiâ à scientiâ.* Prima dividitur in duas. Primo determinat de donis secundum veritatem. In secunda movet quamdam dubitationem contra veritatem prædeterminatam, ibi: *His autem videtur obviare quod Beda de timore Domini dicit.* Circa primum duo facit. Primo ostendit dona virtutes esse, & in patria permanere. Secundo ostendit quod in Christo plenissime fuerunt, ibi: *In Christo etiam hæc eadem fuisse Isaias ostendit.* His autem videtur obviare quod Beda de timore Domini dicit. Hic movet dubitationem contra determinatam: & primo objicit; secundo solvit, ibi: *Ad quod dicimus &c.*

QUÆSTIO I.

HIC quærentur sex.

Primo. Utrum dona sint virtutes.

Secundo. De numero donorum.

Tertio. Utrum maneant in patria.

Quarto. Quomodo se habeant ad beatitudinem.

Quinto. Quomodo se habeant ad fructus.

Sexto. Quomodo se habeant ad petitiones.

ARTICULUS I.

Utrum dona sint virtutes.

1. 2. quæst. lxxviii. art. 1.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod dona sint virtutes. Gregorius enim dicit in Moralibus Lib. I. cap. xii. quod per septem filios Job, septem virtutes intelliguntur, scilicet sapientiâ, intellectus, scientiâ, consilium &c. Hæc autem dicuntur septem dona Spiritus Sancti. Ergo dona sunt virtutes.

2. Præterea. Jacob I. dicit Glossa, (a) quod per donum perfectum, quod dicitur esse desursum descendens à patre luminum, intelliguntur dona gratuita. Sed virtutes inter bona gratuita con-

Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Partim interlinealis, partim collateralis ex Beda desumpta.

tinentur, cum Deus sine meritis præcedentibus eas nobis infundat, ut Augustinus dicit. Ergo virtutes sunt dona.

3. Præterea. Per nomina in proprietates rerum spiritualium oportet devenire. Sed fere omnia nomina donorum ad aliquas virtutes pertinent: quia pietas ad justitiam pertinet; fortitudo autem una de quatuor cardinalibus est; consilium autem pertinet ad prudentiam, ut dicit Philosophus in VI. Eth. scientia autem, & intellectus, & sapientia ponuntur à Philosopho virtutes intellectuales. Ergo dona à virtutibus non distinguuntur.

4. Præterea. Cuiusque convenit definitio, & definitum. Sed definitio virtutis, quam ponit Augustinus Lib. IV. contra Julian. Pelag. cap. 11. & II. de libero arbitrio cap. XIX. *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis operatur sine nobis*: convenit donis: & similiter etiam quæcumque aliæ definitiones quæ de virtutibus communiter assignantur. Ergo dona sunt virtutes.

5. Si dicatur, quod dona differunt à virtutibus, quia donum est aliquid perfectius virtute; contra. Secundum Apostolum I. ad Corinth. XIII. & Augustinum de Trinit. Lib. XV. cap. XVIII. inter omnia alia dona Dei excellentius donum est charitas. Sed charitas ponitur virtus. Ergo donum non est perfectius virtute.

6. Præterea. Macrobius de Somnio Scipionis distinguit quatuor gradus virtutum, scilicet politicas, purgatorias, (1) purgati animi, & exemplares, & unus gradus est super alium. In omnibus tamen gradibus nomen virtutis servatur. Ergo dona non possunt differre à virtutibus pro eo quod sunt supra virtutes.

Sed contra. Ea quæ ex opposito dividuntur, non sunt idem. Sed Gregorius in principio Moral. Lib. I. cap. XII. & XV. dividit dona contra virtutes, dicens per septem filios Job significari septem dona, per tres filias significari virtutes. Ergo dona non sunt virtutes.

Præterea. Ea quæ non sunt unius divisionis, non sunt eadem. Sed virtus alio modo dividitur in suas species quam donum. Ergo virtus non est idem quod donum.

Præterea. Timor ponitur inter septem dona. Non tamen potest dici quod sit virtus: quia nec theologica, nec cardinalis. Ergo dona non sunt virtutes.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod circa hanc quæstionem diversimode determinatum est à diversis.

Quidam enim moti ex diversitate nominum, hanc differentiam assignaverunt inter virtutes & dona, quod dona dicuntur per comparisonem ad Deum dantem, virtutes autem per comparisonem ad opera (2) specialia, & speciales materias: & ideo ponunt dona in superiori parte animæ, virtutes autem in inferiori. Sed hoc non potest stare: quia comparatio donorum ad Deum dantem non potest esse nisi vel sicut ad efficientem, vel sicut ad objectum, vel finem. Comparatio autem ad Deum sicut ad objectum, non potest diversificare dona à virtutibus: quia non omnia dona habent Deum pro objecto, cum scientia de temporalibus sit, fortitudo etiam circa difficilia; virtutes autem theologice magis habent

Deum pro objecto quam dona. Similiter etiam nec comparatio ad Deum sicut ad causam efficientem, vel finem: quia hoc commune est omnibus habitibus infusis; & secundum commune non attenditur differentia. Non enim potest dici, quod immediatius à Deo procedant dona quam virtutes: quia charitas, quæ est virtus, est donum; in quo omnia dona alia nobis donantur.

Et ideo alii dicunt, quod dona sunt magis in ratione, sed virtutes sunt magis in voluntate: quia de virtutibus tantum duæ inveniuntur in ratione, sive intellectu, scilicet fides, & prudentia; de donis autem quatuor. Sed hoc iterum non potest stare: quia eadem est differentia, quæ est divisiva generis, & constitutiva speciei: unde si habitus infusus dividitur in virtutem, & donum per hoc quod est in ratione, vel voluntate esse, oportet quod esse in ratione sit differentia constitutiva, vel quasi constitutiva doni, & esse in voluntate virtutis; & ita oportet dicere, quod salvetur in omnibus quæ continentur sub eis, & non in pluribus: quod patet esse falsum.

Et ideo alii dicunt, quod virtutes sunt ad bene operandum, sed dona ad resistendum tentationibus. Sed hoc iterum nihil est: quia sicut eadem qualitas naturalis est qua ignis calefacit, & qua resistit omni in frigidanti; ita idem habitus est quo quis bona operatur, & contrariis operibus repugnat: quia unicuique, secundum Philosophum II. Ethicor. cap. III. delectabilis est operatio secundum proprium habitum, & contrarium est quod illi operationi repugnat.

Et ideo alii dicunt, quod virtutes sunt ad expurgandum animam à peccatis, sed dona ad sanandum animam à sequelis peccati, innitentes verbo Gregorii, qui dicit ubi sup. quod sapientia datur contra stultitiam, intellectus contra hebetudinem, & sic de cæteris quæ non nominant peccata, sed sequelas peccati. Sed hoc iterum, ut videtur, non sufficit: ad actum peccati consequitur macula, & reatus, quæ per gratiam remouentur; & iterum dispositio, vel habitus, qui per habitus contrarios tolluntur: & sic videtur quod dona non possunt esse ad hoc specialiter quod sequelas peccati removeant. Et præterea omnia illa quæ Gregorius dicit, tolluntur per virtutes: quia præcipitationem tollit prudentia, vel providentia, superbiam tollit humilitas; & sic non potest secundum hoc esse differentia propria inter virtutes & dona.

Et ideo alii dicunt, quod virtutes sunt ad conformandum nos Christo in his quæ bene operatus est; sed dona sunt ad conformandum ipsi in his quæ fortiter passus est. Sed hoc iterum nihil videtur esse dictum: quia in passione Christi præcipue à Sanctis proponuntur nobis imitanda charitas, humilitas, patientia, quæ sunt virtutes, & magis quam sapientia, & scientia, quæ sunt dona. Unde videtur adinventio quædam esse, (3) & rationi non concordat.

Et ideo alii dicunt, quod dona dantur ad altiores actus quam sint actus virtutum: & hæc opinio inter omnes vera videtur. Unde ad huius intellectum sciendum, quod cum virtus in omnibus rebus inveniri possit, secundum quod habent aliquas proprias operationes, in quibus ad bene operandum ex propria virtute perficiuntur, loquentes tamen in morali materia de virtute, intelligimus de virtute humana, quæ quidem ad operationem humanam bene exe-

quuntur.

(1) Al. purgativas. (2) Al. spiritualia, & spirituales. (3) Al. & rei.

quendam perficit. Operatio autem hominis potest dici tripliciter. Primo ex potentia elicente, vel imperante operationem; sicut operatio rationis, vel alicujus potentie quæ obedit rationi, quia à ratione habet homo quod sit homo; nutriri autem, & videre non sunt operationes hominis in quantum est homo, sed in quantum est vivum, vel animal: & secundum hoc omnes habitus perfectientes ad operationes aliquas in quibus non communicat homo cum brutis, possunt dici virtutes humanæ. Secundo dicitur operatio humana ex materia, sive objecto, sicut illæ quæ habent pro materia passiones, sive operationes humanas: sic enim virtutes morales proprie virtutes humanæ dicuntur. Unde dicit Philosophus X. Ethic. cap. VII. vel XI. quod opus speculativæ virtutis est magis divinum quam humanum: quia habet necessaria, & æterna pro materia, non autem humana. Tertio dicitur humana ex modo, quia scilicet in operationibus humanis vel primo, vel secundo modo, etiam modus humanus servatur. Si autem ea quæ hominis sunt, supra humanum modum quis exequatur, erit operatio non humana simpliciter, sed quodammodo divina. Unde Philosophus in VII. Ethic. cap. 1. contra virtutem simpliciter dividit virtutem heroicam, quam divinam dicit, eo quod per excellentiam virtutis homo fit quasi Deus. Et secundum hoc dico, quod dona à virtutibus distinguuntur in hoc quod virtutes perficiunt ad actus modo humano, sed dona ultra humanum modum: quod patet in fide, & intellectu. Connaturalis enim modus humanæ naturæ est ut divina non nisi per speculum creaturarum, & ængmata similitudinum percipiat; & ad sic percipiendâ divinam perficit fides, quæ virtus dicitur. Sed intellectus donum, ut Gregorius dicit (a) super Ezech. homil. XIX. de auditis mentem illustrat, ut homo etiam in hac vita prælibationem futuræ manifestationis accipiat: & ad hoc etiam consonat nomen doni. Illud enim proprie donum dici debet quod ex sola liberalitate donantis competit ei in quo est, & non ex debito suæ conditionis.

Ad primum ergo dicendum, quod dona possunt dici virtutes, in quantum perficiunt ad bene operandum; & humanæ, secundum quod operationes quæ ex donis eliciuntur, non sunt communes hominibus, & brutis; sed sunt supra virtutes, in quantum ultra humanum modum perficiunt.

Ad secundum dicendum, quod ratio doni non salvatur in virtutibus etiam infusis quantum ad omnia, secundum quod salvatur in donis prædictis: quia modus operandi qui est in virtutibus, est secundum conditionem humanam, quamvis substantia habitus sit ex divino munere; & ita aliquo modo potest dici virtus donum.

Ad tertium dicendum, quod quia ea quæ sunt supra nos, non possumus cognoscere nisi ex his quæ secundum nos sunt; ideo nomina donorum sumuntur ex his quæ virtutibus conveniunt, quamvis in donis illa quæ sunt virtutum, sint modo eminentiori quam in virtutibus; unde æquivoce prædicta nomina de virtutibus, & donis dicuntur.

Ad quartum dicendum, quod in omnibus definitionibus datis de virtutibus humanis vel exprimitur aliquid quod ad modum humanum pertinet, vel in ipso actu, ex quo sumitur definitio virtutis, intelligitur modus agendi homini proportionatus: unde

Ex Edit. P. NICOL. (a) Ibi tamen quod ad maturitatem sapientie per intellectum pervenimus. In Moral. Lib. I. cap. XV. *Intellectus in die suo convivium parat: quia in eo quod audita penetrat reficiendo cor, tebras ejus illustrat.* Sed sequentia non occurrunt.

definitiones illæ non conveniunt donis secundum quod de virtutibus dantur.

Ad quintum dicendum, quod voluntas non habet aliquam imperfectionem de ratione sui in nobis quantum ad modum suæ operationis, sicut intellectus, qui cognoscit accipiendo à phantasmatibus: unde in statu viæ Deum per essentiam fatamur, non autem videmus. Et ideo non potest accipi supra illam virtutem quæ est in voluntate, aliquid donum perficiens ad agendum nobiliori modo quam sit, modus virtutis: & ideo cum donum non sit supra virtutem, nisi ratione modi, non erit inconveniens quod virtus perficiens voluntatem quantum ad sui supremum, dignior sit quolibet dono.

Ad sextum dicendum, quod dona de quibus nunc loquimur, sunt virtutes divinæ: unde reducuntur ad virtutes exemplares quas ponit in Deo, quæ non sunt idem specie cum virtutibus politicis, sed sunt supra eas, ut dicit Philosophus in VII. Ethicor. cap. 1.

ARTICULUS II.

Utrum dona debeant esse plura quam septem.

2. 2. quæst. LXVIII. art. 4.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod plura debeant esse dona quam septem assignata. Dona enim perficiunt ad modum altiore quam virtus. Ergo singulis virtutibus debent respondere singula dona. Sed inter theologicas virtutes soli fidei videntur dona aliqua respondere, sicut intellectus, & sapientia. Ergo videtur quod debeant esse alia dona quæ respondeant spei, & charitati.

2. Præterea. Circa ea quæ sunt temperantia, magis homo infirmatur quam circa materiam alicujus alterius. Sed dona dantur ad tollendam imperfectionem quæ est in virtutum actibus ex conditione humanæ naturæ. Ergo temperantia debet respondere aliquod donum.

3. Præterea. Inter ista dona ponuntur tria quæ pertinent ad executionem, ut pietas, fortitudo, & timor. Sed fortitudini adjungitur suum motivum, scilicet consilium, pietati vero scientia. Ergo timori debet aliquod directivum alterum assignari.

4. Præterea. Ad justitiam reducuntur, sicut partes, pietas, laetitia, amicitia, & multa alia, ut supra dictum est. Ergo qua ratione pietas ponitur donum, eadem ratione omnes aliæ partes justitiæ.

5. Præterea. Ad prudentiam pertinet non solum consilium, sed etiam judicium, sicut supra dictum est. Ergo sicut consilium ponitur donum, ita & judicium.

6. Sed contra. Videtur quod debeant esse pauciora. Quia quanto aliqua cognitio est altior, tanto magis universalis est, & minus multiplex. Sed dona sunt supra virtutes. Cum igitur virtutes ad cognitionem pertinentes sint fides, & prudentia, non debent eis quatuor dona ad cognitionem pertinentia respondere.

7. Præterea. Donum, ut dictum est, videtur aliquid aliud quam bonum virtutis esse. Sed timor non videtur sonare in aliquam eminentiam. Ergo non videtur quod debeat inter dona computari.

Præ-

8. Præterea. Non potest esse species altior suo genere, neque aliquid aliis seipso. Sed donum est aliquid aliis virtute. Cum ergo pietas sit pars justitiæ, & fortitudo sit quædam virtus cardinalis, videtur quod neutra debeat dici donum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut ex prædictis patet, tria sunt genera virtutum. Sunt enim virtutes intellectuales, theologicæ, & morales: in quibus omnibus hoc commune invenitur quod perficiunt ad actus suos secundum humanum modum. Unde cum donum elevet ad operationem quæ est supra humanum modum, oportet quod circa materias omnium virtutum sit aliquod donum quod habeat aliquem modum excellentem in materia illa; nec tamen oportet quod tot sint dona quot sunt virtutes: quia in unoquoque genere in quo multa continentur, convenit esse unum summum; & ita respectu multarum virtutum quæ sunt unius coordinationis, potest unum donum excellentiam importare. Sicut etiam supra dictum est, multæ virtutes, etiam quæ sunt circa diversas materias, assignantur partes unius virtutis, secundum quod in materia ejus communicant. Operatio autem humana, ad quam humano modo virtus perficit, vel pertinet ad contemplationem, secundum quam conspiciuntur necessaria, & æterna, vel pertinet ad actionem, secundum quam disponuntur contingentia, quæ libero arbitrio sunt subiecta. In contemplatione autem humana duplex est via. Una secundum quam proceditur ad agnitionem necessariorum, & æternorum, quæ pertinet ad inventionem. Alia secundum quam ex principiis primis alia ordinantur, quæ pertinet ad iudicium. In prima autem via proceditur humano modo ex sensu in memoriam, ex memoria in experimentum, & ex experimento in prima principia, quæ statim notis terminis cognoscuntur: & hunc processum perficit intellectus, qui est habitus principiorum. Uterius in eadem via proceditur inquirendo ex istis principiis in conclusiones; & ad hoc perficit alia virtus intellectualis, quæ dicitur scientia quantum ad ea quæ rationi subjacent; in his autem quæ super rationem sunt, perficit fides, quæ est inspectio divinorum in speculo, & in ænigmate. Quod autem spiritualia quasi nuda veritate capiuntur, supra humanum modum est; & hoc facit donum intellectus, qui de auditis per fidem mentem illustrat, ut dicit Gregorius. In alia autem via contemplationis motus humanus est ut ex simplici inspectione primorum principiorum, & altissimarum causarum homo de inferioribus iudicet, & ordinet; & hoc fit per sapientiam, quam ponit Philosophus intellectualem virtutem in VI. Ethic. cap. v. & vi. quia sapientis est ordinare, ut in principio Metaphysic. cap. ii. dicitur. Sed quod homo illis causis altissimis uniatu transformatus in earum similitudinem, per modum quo qui adhæret (4) Deo, unus spiritus est, I. Corinth. vi. ut sic quasi ex intimo sui de aliis iudicet, & ordinet non solum cognoscibilia, sed etiam actiones humanas, & passiones; hoc supra humanum modum est, & hoc per sapientiæ donum efficitur. Ex parte autem actionis duo inveniuntur, scilicet dirigere, quod pertinet ad cognitionem; & exequi, quod est affectionis. In cognitione autem practica, quæ dirigit in operibus moralibus, invenitur duplex via, sicut &

(4) Vulgata Domino. (5) Forte ut non in his terminis includatur.

in contemplationis cognitione, scilicet inventio, & iudicium. In inventione autem modus humanus est quod procedatur inquirendo, & conjecturando ex his quæ solent accidere: quia ex talibus, & circa talia est moralis consideratio, ut Philosophus dicit; & hæc inventio secundum hunc modum perficitur per eubulliam, quæ est bona consiliatio. Sed quod homo accipiat hoc quod agendum est, quasi per certitudinem a Spiritu Sancto edoctus, supra humanum modum est; & ad hoc perficit donum consilii. In via autem altera modus humanus est quod ex his quæ frequenter solent accidere, homo de inventis per consilium iudicet probabiliter, quod fit per quoniam, & synesim; & ulterius ordinem huius iudicii imponat inferioribus, quod fit per prudentiam, quæ præceptiva est. Sed quod homo certitudinaliter sentiat de his quæ agenda occurrunt, supra hominem est; & hoc fit per donum scientiæ, quæ docet conversari in medio pravæ & perversæ nationis: unde & ipsum nomen certitudinem importat. Executio autem activæ vitæ in duobus consistit, scilicet in operationibus, quibus fit communicatio ad alterum, & in passionibus, quibus homo ad seipsum disponitur. Operationes autem quibus fit communicatio ad alterum, secundum humanum modum regulantur, vel ex eo ad quem est communicatio, sicut cum ei aliquid exhiberetur, quod facit justitiâ; vel ex ipso qui ad alterum sua communicat, in quantum bonum ejus relucet in tali communicatione, ut mensura harum communicationum: quæ quidem communicatio vel est in hoc quod homo sua tribuit, quod facit liberalitas in mediocribus, & magnificentia in maximis donis, vel sumptibus: vel in eo quod seipsum alteri exhibet sive per cognitionem, ut scilicet cognoscatur talis qualis est per dicta, & facta, quod facit virtus quædam quæ a Philosopho, Ethic. IV. c. xiiii. dicitur veritas; sive per affectionem, in quantum se delectabilem exhibet sociis, ut in ludis, quod facit eutrapelia; vel in communi vita, quod facit amicitia, quæ a Philosopho VIII. Ethic. virtus ponitur per quam homo ad unumquemque decenter se habet in dictis, & factis. Sed quod ratio communicationis quantum ad omnia prædicta non attendatur ex bono communicantis, vel ejus ad quem est communicatio (ut (5) in his terminis includatur, ut homo alteri tantum tribuat quantum debet, vel quantum ei expedit qui tribuit, sed quantum est Deo acceptum divinum bonum quod in se, vel in proximo relucet) hoc supra humanum modum est; & hoc fit per donum pietatis. Passiones autem vel pertinent ad concupiscibilem, vel ad irascibilem. In passionibus ergo irascibilis dirigendis secundum humanum modum accipitur pro mensura, vel regula, rationis bonum. Passiones enim irascibilis ad tria reducuntur. Primum est spes, quæ est respectu ardui boni consequendi: quæ quidem dirigitur per hoc quod homo pensatis viribus propriis secundum eorum mensuram ad ardua virtutis opera se extendat; & hoc facit magnanimitas, quæ est circa magnos honores, & quædam virtus innominata, quæ est circa mediocres. Honor enim virtuti debetur. Secundum autem est timor, & audacia, quæ sunt respectu mali difficilis imminenti; & in his passionibus diriguntur, ut secundum quantitatem suarum virium quis huiusmodi aggrediatur, vel fugiat, quod ad fortitudinis virtutem pertinet. Tertium ira, quæ consurgit ex læsione præcedente, in qua dirigimur ut homo non insurgat in vindictam ultra quan-

quantitatem offensæ, & ordinem huius, quod facit mansuetudo. Sed quod homo in omnibus his pro mensura accipiat divinam virtutem, ut scilicet ad ardua virtutis opera se extendat, ad quæ se suis viribus non sufficere, & pericula quæ vires suas excedant, non formidet divino auxilio innixus, & de illatis injuriis non solum vindictam non requirat, sed etiam gloriam habet in remunerationem intendens, supra humanum modum est; & hoc totum efficitur per donum fortitudinis. In passionibus autem concupiscibilis, quæ sunt amor, concupiscentia, & delectatio, secundum humanum modum diriguntur ad bonum rationis, ut scilicet tantum homo ad temporalia bona afficiatur quantum indiget; quod fit per temperantiam, quæ est circa maximas delectationes, & concupiscentias, & secundum alias ei annexas. Sed quod homo ex reverentia divinæ majestatis omnia hæc ut strictora arbitretur, supra humanum modum est; & hoc per donum timoris perficitur: unde in Psalm. cxviii. 120. dicitur: *Confige timore (6) tuo carnes meas.* Quidam vero accipiunt numerum donorum secundum pronitates ad peccatum, eo quod donum est ad auferendum defectum potentiam in qua est virtus: unde dicunt quod contra pronitatem ad superbiam est timor ad humilitatem inclinans; contra pronitatem ad iridiam, quæ proximo compati nescit, est pietas; contra iracundiam, quæ est bene conversari cum hominibus, unicuique reddendo quod suum est, quod avaritiæ opponitur; contra accidiam, fortitudo; contra iram, quæ agit omnia (7) in præcipiti, consilium; contra gulam, quæ sensus hebetat, intellectus; contra luxuriam, sapientia, quia gustato spiritu desipit omnis caro. Alii vero accipiunt numerum donorum secundum ea quæ in Christo exigebantur ad patientiam, quæ quidem fuerunt quatuor; scilicet reverentia ad Patrem mittentem, & sic est timor; compassio, vel misericordia ad eos pro quibus patiebatur, & sic est pietas; virilitas ad passiones sustinendas, & sic est fortitudo; & fructus passionis consideratio, & sic est intellectus. (8) Consilium autem fortitudinem dirigit, scientia pietatem, sapientia intellectum. Alii vero accipiunt secundum ea quæ ex peccato consequuntur. Consequuntur enim in concupiscibili duritia, ut non subveniatur proximo; & contra hanc est pietas; in irascibili timiditas, contra quam est fortitudo; & præsumptio sive audacia, contra quam est timor. In rationali vero respectu finis, hebetudo ut non cognoscatur, contra quam est intellectus; & stultitia, ut non afficiatur aliquis debite ad finem, & contra hanc est sapientia. Sed respectu eorum quæ sunt ad finem, ignorantia, qua scilicet homo nescit quid expediat ad prosecutionem finis, & contra hanc est scientia; & præcipitatio, per quam homo ex impetu passionis magis ducitur in his quæ sunt agenda, quam ex electione, & contra hanc est consilium. Alii vero aliter accipiunt dicentes, quod dona perficiuntur in duplici vita. In contemplativa quidem sapientia per modum gustus experientis; intellectus per modum visus insipientis. In activa autem quantum ad necessarium malum, timor; quantum ad operationem horum, ad quod omnes tenentur, pietas ut exequens, & scientia ut dirigens; quantum vero ad operationem bonorum, quod non omneste-

(6) Al. deus. (7) Al. in præcipiti. (8) Nicolai. Adduntur autem tria, quia consilium fortitudinem dirigit.

mentur, fortitudo ut exequens, & consilium ut dirigens. Sed prima assignatio magis videtur accepta secundum proprias rationes donorum. Ad primum igitur dicendum, quod fides est in intellectu, spes autem, & charitas in voluntate, ut prius dictum est. Intellectus autem humanus ex sua natura habet imperfectionem in modo intelligendi, quia spiritualia non potest percipere nisi deveniens in ea ex sensibilibus; sed voluntas non habet ex sua natura aliquem modum imperfectionis, ut dictum est: & ideo charitatis, & spei non responderit aliquod donum quod perfectiori modo operetur: imperfectio enim quæ est in actu spei, non est ex modo operandi, sed magis ex distantia objecti. Ad secundum dicendum, quod perfectio temperantiæ consistit in retrahendo a delectationibus circa quas est, unde & non tenet acceptis; perfectio autem fortitudinis in sustinendo, vel aggrediendo; justitiæ autem in operando quæ ad alterum sunt. Et ideo justitiæ responderit donum quod est ad operandum, scilicet pietas; & fortitudini donum quod est ad sustinendum, & aggrediendum, quod eodem nomine nominatur: temperantiæ autem donum quod sonat in recessum ab aliquo, scilicet timor, ut prius dictum est. Ad tertium dicendum, quod idem est directivum in recessu a termino, & in accessu ad alium terminum: & ideo timor, qui sonat in recessum, non habet aliquod speciale directivum præter ea quæ dirigunt in aliis exequentibus, quæ pertinent ad accessum ad terminum. Ad quartum dicendum, quod quia donum elevat hominem ad id quod est supra se, ideo convenienter donum respondens justitiæ ex illa parte justitiæ sumitur quæ ei quod maxime supremum est, debetur. Huiusmodi autem est pietas, quæ debetur Deo, & patri carnali, vel etiam patriæ, quæ debetur civitati. Ad quintum dicendum, quod iudicium prudentiæ per donum scientiæ perficitur, sicut & consilium per donum consilii. Ad sextum dicendum, quod multæ aliæ virtutes pertinent ad cognitionem quam fides, & prudentia, sicut patet de omnibus intellectualibus; & ideo ratio procedit ex falsis. Ad septimum dicendum, quod timor sonat in quandam subjectionem hominis per quamdam reverentiam. Quanto autem creatura magis creatori subijcitur, tanto altior est; sicut materia quanto magis subijcitur formæ, tanto perfectior est: & ideo timor in excellentiam sonat, secundum quod importat reverentiam ad Deum, & sic enim maxime donum est. Ad octavum dicendum, quod pietas, quæ est donum, est supra justitiam & supra omnes partes ejus, ut ex prædictis patet; & ideo non est idem cum pietate, quæ est pars justitiæ. ARTICULUS III. Utrum dona maneat in patria. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod (6) dona non remaneant in patria. Donum enim fortitudinis videtur esse contra difficultates ordinatum. Sed in patria non erit aliqua difficultas. It-

Ddd